



Summæ Theologicæ Scholasticæ Et Moralis In Qvatuor Partes Distributæ Pars ...

In qua de Virtutibus in Communi, & Theologicis, Fide, Spe & Charitate, nec
non Virtutibus Cardinalibus, præsertim Justitia & Jure, ac Religione
ceterisq[ue] annexis, & Vitiis Oppositis in particulari breviter & dilucidè
tractatur

Herincx, Wilhelm

Antverpiæ, 1663

Quæst. I. An Charitas sit Virtus, veraque Amicitia cum Deo?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72941](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72941)

non est ibi peccatum oppositum spei, aut quidquam quod habitum spei evertat; immo verè tales sperare adhuc possunt, uti debent, gratiam à Deo, quæ dum vita durat, non denegatur: quamquam magis timendum sit, ne in poenam non detur gratia congrua; uti plerumque fit. Proprium autem & speciale peccatum huiusmodi præsumptionis de misericordia Dei (quod dici solet peccatum in Spiritum sanctum) tunc committitur (ut rectè notat Marchant To. 2. Tract. 2. Tit. 3. q. 6. Conclus. 2. etsi aliqui non satis distinctè loquantur)

quando spes confessionis faciendæ, & misericordiae in hora mortis consequendæ, non tantum concomitantur, se habet, sed est causa peccati, dum videlicet ideo quis laxat habenas peccatis, quia scit Deum usque ad mortem esse propitium peccatoribus. Talis enim iustitiam Dei irritat, & quantum in se est provocat; nec non misericordiam, & bonitatem illius, eadem ad peccandum abutendè, oppugnat. Quamvis adhuc consistat cum actû spei, adeoque habitum spei non evertat.

DISPUTATIO UNDECIMA.

De Charitate, eiusque Præcepto & Ordine.

QUÆSTIO I.

An Charitas sit Virtus, veraque Amicitia cum Deo?



NOMEN Charitatis plerumque in bonam partem in Scriptura & sacris Scripturis sumitur pro amore boni seu bona voluntate, uti & frequenter sumitur dilectio; quæ tamen etiam pro dilectione mala sumitur, magis quam charitas: Amor autem indifferenter in bonam & malam partem accipitur. Et quidem apud Augustinum Charitas generaliter interdum complectitur omnem amorem boni, adeoque etiam amorem concupiscentiæ. Regulariter tamen sumitur pro habitu vel actû amoris benevolentiae erga Deum, quo ipse propter se se infinitam suam bonitatem diligitur, proximus autem propter Deum. Nec pro habitu vel actû Qualicumque amoris etiam naturalis, sed solum supernaturalis. Unde est infusa à Deo virtus, vel eiusdem actus, quo Deus diligitur propter se, aut propter Deum proximum.

Charitatem porro non esse quid creatum inhærens in anima hominis, sed esse ipsum Spiritum sanctum, non solum casualiter, sed formaliter docuit Magister 1. d. 17. prout communiter intelligitur & littera sonat: etsi subtiliter conetur Scotus ibid. q. 3. n. 30. eum cum communi doctrina ex aliis locis concordare: quod etiam facit Ocam 1. d. 17. q. 3. Loquitur autem Magister de habitu seu principio charitatis actualis, ut satis se ipsum explicat lit. S. & intelligitur à D. Thoma q. 23. art. 2. D. Bonaventura 1. d. 17. p. 1. art. 1. q. 1. Scoto supra, Gabriele ibid. art. 1. Durando ibid. q. 2. Marsilio 1. q. 20. art. 1. & reliquis Scholasticis, quidquid Ariaga disp. 31. scilicet 1. n. 3. explicet illum etiam de ipso actû, advens non bene à nonnullis Herincx Sum. Theol. Pars III.

Recentioribus etiam intelligi de solo principio proximo actûs, cum tamen Theologorum Principes cum infinitis quasi aequalis suis sic Magistrum intelligant.

Doctrina Magistri aperte repugnat non solum indubitata omnium Theologorum sententiæ, afferentium charitatem esse qualitatem infusam, sed etiam Tridentino sess. 6. c. 7. ubi præmissis cap. præc. actibus fidei, spei & dilectionis dispositivis, docet, quod in ex Trid. justificatione per Spiritum sanctum Charitas sine. Dei diffunditur in cordibus eorum qui iustificantur, atque ipsi inhæret. Unde in ipsa justificatione hac omnia simul infusa accipit homo, fidem, spem & charitatem &c. Idem de charitate definit Can. 11: Quod nullo modo quadrat in ipsum Spiritum sanctum. Alud it autem Tridentinum utroque loco ad illud Apostoli ad Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Porro iuxta Augustinum l. de Spirit. & Litt. c. 32. (quem alii passim sequuntur) Charitas dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non quæ ipsi nos diligit, sed quæ nos facit dilectores suos: sicut iustitia Dei, quæ iusti eius mere efficiuntur, & Domini salus, quæ nos salvos facit. Adeoque intelligitur de charitate creata. Et quæquam Nonnulli post Chrysostomum explicent eum Apostoli de charitate Dei quæ nos diligit, conveniunt tamen omnes in hoc, quod ea dicatur diffundi ratione effectuum seu donorum animæ inhærentium, ac per Spiritum sanctum infusorum, maxime charitatis, unde consequens fit etiam reciprocam erga Deum charitatem esse donum animæ inhærens. Vide Estium in d. Locum. Accedunt aliæ Scripturæ, quæ frequenter loquuntur de charitate tamquam dono & fructu ipsius Spiritus sancti, connumerantes eam aliis donis & fructibus seu virtutibus, ut fidei, spei &c. 1. ad Cor. 13. ad Galat. 5. ad Ephes. 6. Ut proinde ex Scriptura æquè colligatur de charitate, atque de fide & spe, quod sit donum creatum.

Charitas est donum anima inhærens. Probat in ex Trid. justificatione per Spiritum sanctum Charitas sine.

Scripturis.

13

1. Quid significat charitas.

2. Ipsam esse Spiritum sanctum sensu Magister.

Loquens de actuali dilectionis principio.

Quidquid scilicet ipsum explicet Ariaga.

4. Et ratione.

Probatür eadem doctrina ratione: tum quia congruit magis, ut inquit animæ principium intrinsecum & stabile activum charitatis: tum quia aliorum actuum supernaturalium datur huiusmodi principium, etiam juxta Magistrum: tum quia Charitas dicitur quibusdam inesse, quibusdam non, in quibusdam augeri & crescere, in quibusdam corrumpi &c. quod propriè non convenit Spiritui sancto.

5. Quo sensu dicitur Deus esse charitatem.

Nec obstat quod in Joann. 4. dicitur: Deus charitas est; intellige non solum causaliter, sicut dicitur spes & patientia nostra, quia scilicet hæc nobis dat, sed sicut dictum est, Deus est spiritus, juxta Augustinum 15. de Trinit. c. 17. Nam verè & essentialiter Deus est charitas increata, & fons omnis dilectionis, quæ in nobis reperitur, & consequenter qui manet in charitate participatâ, in Deo manet per vinculum societatis & amicitia, & Deus in eo vicissim. Et quamvis totus hic locus acciperetur de charitate increata, non propterea excluderetur charitas creata, alibi tamen commendata. Augustinus autem differentiam ponit inter charitatem, & spem vel patientiam, quod Deus sit essentialiter charitas increata eaque formaliter in Deo reperitur; nõ sit ita spes & patientia, quæ ob imperfectionem non reperiuntur formaliter in Deo; Non negat tamen, quin propterea sit in nobis charitas creata; & Deus sit charitas hæc causaliter, sicut dicitur iustitia nostra, ut patet ex 1. de Spirit. & Litt. c. 32. Vide d. Bonaventuram 19 d. 17. in Exposit. Textus dub. 5.

Exponitur Augustinus.

6. Potuisset dilectio Dei semper produci ab ipso sicut interuentu habitus infusi.

Fatendum nihilominus cum communi Doctorum sententia, Deum potuisse sic ordinare, ut actus dilectionis semper producerentur à Spiritu sancto (cui id solum per appropriationem convenit; eò quod sit Charitas Patris & Filii) sine concursu habitus. Immo de facto peccator se disponens ad justificationem per dilectionem aut contritionem perfectam, elicit illam sine concursu habitus, utpote posterius naturâ infundentem: quidquid nonnulli Thomista dicant. Et saltem nulla in hoc est apparentia contradictionis. Quænammodum etiam actus fidei spei eliciuntur ab iis, qui necdum sunt præditi habitibus, Deo per auxilium actuale supplente defectum habitus.

7. Charitas est virtus supernaturalis, à ceteris distincta.

Quod autem charitas sit virtus supernaturalis, patet ex Tridæimo supra, & à fortiori ex eo, quod fides & spes sint naturales virtutes. Vide dicta disp. 1. q. 2. Quod similiter sit à virtutibus ceteris, etiam supernaturalibus, distincta, tradunt omnes Theologi. Colligiturque ex Scriptura 1. Cor. 13. Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc. Idem suaderi solet, et si non omnino efficaciter ex distinctione objecti, præsertim formalis, quod est divina bonitas quatenus in se bonus est.

Eiusq; eminentior.

De excellentia charitatis præ cæteris

subdit Apostolus supra: Major autem horum est charitas. De quod dictum est disp. 1. q. 7. De identitate charitatis & gratiæ sanctificantis vide dicta Tract. de Gratia disp. 4. q. 4. num. 13.

Quod denique charitas, quatenus Deum respicit, sit vera hominis cum Deo amicitia, est Similiter indubitatum apud omnes Catholicos: nam per charitatem juxta fidei doctrinam reddimur amici, iusti, & filii Dei ac hæredes gloriæ cælestis. Unde charitate præditos Scriptura vocat amicos Joann. 15. Vos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis. Et: Vos autem dixi amicos. Et alibi læpè.

8. Nec non ut homo cum Deo amicitia.

Nec potest quidpiam aliud assignari, per quod homines sancti dici possint amici Dei, quam charitas. Ratio est: quia charitas est amor benevolentia & mutuus: per ipsam enim iusti diligunt Deum, eique bene volunt: & e contra Deus diligentes se diligit.

Et quamvis hic omnia amicorum suorum bona ad se velut ultimum finem referat, id non obest rectæ amicitia: cum id non faciat ad suam utilitatem, qui bonorum nostrorum non eget, sed ex essentiali naturæ suæ rectitudine. Quia immo etiam sic vult nobis bonum, quando nos ad se tamquam ad destinatum finem refert: sicut & nos proximo bene volumus & verâ amicitia ipsum prosequimur, quando ipsum diligimus propter Deum, ejuve amore in Deum tamquam finem referimus. Vide dicta Tract. de Deo Uno disp. 7. q. 7. n. 57. Ubi etiam diximus non obfata inæqualitatem Dei & hominis; quæ facit ut sit amicitia, non æqualitatis, sed excellentiæ, quæpæ Scotus 3. d. 27. n. 20. super amicitia vocat: quamquam Deus amicos suos sibi quoque tamquam filios assimilet per gratiam, & postea per gloriam: ut proinde & hic locum habeat, quod amicitia aut pares accipit, aut quoad fieri potest, facit.

9. Non obstantem eo, quod Deus omnia ad se referat.

Id ipsum amplius declaratur applicando conditiones amicitia, quæ desumuntur ex Philosopho 8. Ethic. c. 2. & 9. quod scilicet sit mutua benevolentia, non latens, & in quadam bonorum communicatione fundata. Ad quas reducuntur aliæ addi solentæ Ex Ambrosio l. 3. Offic. c. ult. quod scilicet sit unitas animorum, communicatio consiliorum, præstatio securitatis.

10. Declaratur id ipsum applicanda conditiones amicitia scilicet unitas animorum.

Quod itaque charitas sit benevolentia, & quidem mutua (quod requiri patet) cum amicus sit amico amicus, & qui amat alium à quo non redamatur, dici possit amans, non propriè amicus) sufficienter ex dictis patet. Quod non omnino læscat, doceri potest ex Apostolo ad Rom. 8. Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei; Deum autem nihil potest latere. Quod fundetur in aliqua communicatione, patet, eò quod Deus se ipsum nobis donec seu communi-

cet, hic

cet, sic per gratiam multipliciter, in futuro per gloriam: è contra nos offeramus Deo nostra obsequia, nosque ipsos. Quod insuper sit unitas animorum, manifestum est: qui enim adhæret Deo, unus spiritus est cum eo, juxta Apostolum 1. Cor. 6. Qui proinde de se ipso ad Gal. 2. ait: Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus. Quod etiam spectat, quod alter alterius voluntatem faciat: prout nos Deo dicimus, Fiat voluntas tua, & è contra de Deo dicitur Psal. 144. Voluntatem timentium faciet. Quod ipsi plurima Sanctorum exempla demonstrant. Quod inveniatuſ consiliorum seu secretorum communicatio, patet: quia debemus Deo revelare quam nostram Psal. 36. & effundere coram illo corda nostra Psal. 61. immo & præbere illi cor nostrum Proverb. 23. non quod illum quidquam lateat, sed ut amicitia munere fungamur, & ita petamus opem ab eo, qui solus juvare potest. Ipse etiam Deus secreta nobis communicat: Jam (ait Christus Joan. 15.) non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat Dominus ejus: vos autem dixi amicos, quia omnia quaecumque audivi à Patre meo, nota feci vobis. Quod denique charitas præstet securitatem, patet, quia generat fiduciam de divina erga nos benevolentia, ne nimis anxie timeamus damnationem, sed ut nos Deo fiducialiter committamus.

11. Infantes gratia præditi qui sint amici Dei.

Adverte tamen, parvulos aut amentes in gratia existentes non habere omnes prædictas conditiones in actu, sed solum in habitu & velut in radice: esseque nihilominus & vocari phrasi Ecclesiasticâ amicos Dei, scilicet ratione habitûs, ob quem sunt Deo accepti, tamquam amici & filii, & in actu primo potentes Deum redamare.

QUAESTIO II.

An vel Qualiter Charitas possit Augeri, Minui & Destruï?

12. Charitas possit augeri.

10. Iustitiae incrementum petit Ecclesia, cum orat: Da nobis, Domine, fidei, spei & charitatis augmentum. Ratio Theologica est: quia charitas est à gratia justificante (quæ augeri potest) indistincta, aut certè eam cum quadam æquabili proportione indivulsè concommitatur, ut sicut simul sunt in infusione & destructione, sic & in augmento: in ejusque infusione & augmento saltem ex parte consistit justificatio & ejusdem incrementum. Vide dicta Tract. de Grat. d. 4. q. 5.

Physicè à Deo, meritorie & instrumentaliter unde.

Augetur verò charitas, uti primò infunditur, physicè quidem à solo Deo, meritorie autem per actus meritorios, etiam habitu præexistente remissiores, ut loco citato

ostendimus. Instrumentaliter denique per Sacramenta, quæ ex opere operato vel primam gratiam conferunt, vel augmentum illius (ut ex dictis in materia de Sacramentis liquet) & consequenter charitatis.

Constitit porro hoc augmentum juxta omnes Doctores in intentione majori habitûs charitatis; quæ juxta sententiam in Philosophia communiorem fit per additionem gradûs ad gradum homogeneum. Præter quod non datur aliud augmentum extensivum: eò quod minima charitas extendat se ad omnia quæ sunt ex charitate diligenda, utpote in quibus omnibus est eadem ratio diligendi. Quemadmodum eadem fides habitualis extendit se ad omnia sub eodem motivo credenda. Unde habitus infusus mox constituit hominem proportionatum toti latitudini objecti sui, nec extenditur ejus substantia, dum plures diliguntur, sicut non augetur extensivè potentia videndi, dum plura objecta videntur.

De facto tamen in diversis differenter se extendit habitus charitatis ad actus circa hæc vel illa objecta, & ad actus inæqualiter perfectos, quantum ad intensionem aut appretiationem. Ad quod præter habitum necessaria sunt specialia auxilia Dei urgentis ad actus magis heroicos.

Estque locus huic intensivo augmento habitualis charitatis, quamdiu status viæ durat: uti eoque durat status merendi. Immo oppositus error, quod scilicet in hac vita quis possit ad tantam charitatem seu gratiam pervenire, ut amplius augeri non possit, damnatus est in Beguardis & Beguinis à Concilio Viennensi relato Clem. Ad nostrum, de Hæreticis. Unde Apostolus aded in charitate provectus de seipso ad Philip. 3. dicebat: Non quod jam perfectus sim &c. Quæ retrò sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor &c.

Neque est periculum (quod Beguardi mentuebant) ut quis tandem perveniat ad mensuram charitatis seu perfectionis Christi, aut eam excedat: gratia enim seu charitas secundum plenitudinem in Christo fuit, sive infinita, sive tanta ut major non sit possibilis, & saltem superet omnium simul sumptorum charitatem in intensione. Dicitur verò Augustini Enchiridii c. 121. Minuitur cupiditas charitate crescente, donec veniat hic ad tantam magnitudinem, quâ major esse non possit; intellige non de magnitudine intensionis, sed exhibitionis in opere, q. d. per venturam ad exhibendum seu exponendum pro amico bonum maximum quod habet, seu quo majus ab ipso exhiberi nequit, prout Joan. 15. Christus dixit: Majorem hæc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Unde Augustinus Tract. 5. in Epist. 1. Joan. ait: Perfecta charitas hæc est, ut quis paratus sit pro fratribus etiam mori.

13. Augmentum charitatis habitualis est intensivum, non extensivum.

14. Est locus augmento, quâdiu status viæ durat.

Occurritur objectioni.

Explicatur dictum Augustini.

